



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1652-1663**

Cap. 7. Circa Restitutionem ex homicidio aut mutilatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80586)

Secl. II. De Præcepto V. Problemata. 293

de restit. l. 2. c. 3. 376. Henric. Strouers Dorf de iust. & iure ad 2. 2. D. Tho. q. 6. a. 7. concl. 5.


205
Minime licet.

Minime hoc licet. Quia verbales iniuriæ verbis repelli possunt, quæ est legitima vindicta. Tum quia sic assolent repelli etiam apud viros honoratos: nam si factis repellerentur iam fieret in defensione excessus, cum aliter & possint, & soleant repelli. Itæ meus doctissimus Magister, & propinquus P. Petr. Hurtado de Mendoza 2. 2. d. 170. sect. 15. §. 123. Binsfeldius de iniur. & damno dato, c. 1. q. 9. concl. 4. Moltes. sum. to. 1. tr. 11. c. 19. n. 74. Lessli. 2. c. 9. dub. 12. n. 78. Fillinc. 10. 2. tr. 19. n. 49. Diana p. 5. tr. 4. resol. 12. Azor. 10. 3. l. 2. c. 1. q. 17. & alij.

206

Hoc probabilius iudico.

Secundam sententiam probabiliorē esse indicam. Quare si inuasor solummodo verbis contumeliosis ledatur, gr. dicens: *Mentiris*, non licet eum occidere, nec vulnerare. Nam licet verbum illud sit fere ubique contumeliosum valde, huiusmodi contumelia aliter repelli potest, & assolent.



CAPVT VII.

Circa Restitutionem ex homicidio, aut mutilatione.

PROBL. XLVIII.

Qui inuasorem occidit, excedens iusta tutele moderamen, tenetur, & non tenetur ad restitutionem integram.

207

Tenetur integre damna compensare.

¶ Vi inuaditur ab altero sine prouocatione, si iustam moderationem excedat, illum occidendo, tenetur integre damna compensare. Quia qui ita occidit alterum iniuria afficit, & est totius damni causa. Sic ex Nauarra Manuel. sum. 10. d. c. 12. n. 1. Valq. opus. de restit. c. 2. §. 3. dub. 4. Becan. 2. 2. q. 9. de restit. concl. 2. Nauarra de restit. l. 4. c. 1. n. 92. Sanchez. 1. Confli. l. 1. c. 4. dub. 9. n. 3. Turrian. 2. 2. d. 28. dub. 4. Faustus de restit. d. 2. q. 10. n. 4.

208

Non tenetur integre restituere damna.

Non tenetur ad integram restitutionem, sed compensationem damni, sed solummodo pro excessu ratione. Quia qui alterum iniuste aggreditur, & aperta vi, vel ex insidiis occidit, maiorem inferit iniuriam, quam qui aggressus, & rei indignitate commotus, aggressorem interimit: ergo ad maiorem tenetur restitutionem: ergo si ille integre, hic non tenetur integre compensare. Itæ Angel. v. Restitutio 1. §. Homicidia. Strouer. Dorf. de iust. & iure ad 2. 2. D. Tho. q. 68. d. 2. memb. 2. concl. 5. Sylui. 2. 2. q. 6. a. 2. quesito 3. Celestin. in compend. Theolog. mor. 1. 10. c. 3. n. 3. Comitoli. respons. l. 4. q. 11. n. 6. Diana p. 5. tr. 4. resol. 44.

209

Hanc præfero sententiam, quam amplius confirmo.

Hanc sententiam præferendam iudico. Vnde si quis quantumcumque iniuste inuasus occidendo, vel percutiendo moderamen inculpatæ excedat tutelæ, ad restitutionem integram non tenetur, sed pro excessu ratione. Nam si per leuem inaduertentiam, vel aliam venialem culpam excessit defensionis modum: quod præsumendum erit, quando non ex voluntate

Escol. & Mend. Theol. Moral. Tom. IV.

occidit, sed animo se defendendi, vel sua præsertim in defensione vitæ, cuius amittendæ timor strenuum quemque assolet perturbare, tunc leuis quoque restitutio iniungenda erit culpæ proportionata: v. gr. vt preces, ac sacrificia aliqua pro occiso faciat offerri. At si maior interueniat excessus, maior erit exhibenda restitutio, iuxta prudentis arbitrium: vt si forte per culpam mortalem crassa inaduertentia quis hominem occidisset, non seruat moderamine, maior quidem, non tamen integra restitutio gerenda erit; non tamen integra: ac si prudens, & sciens occideret. Ratio est, quia ea restitutio non debetur nisi ex culpa iniuste acceptionis: quando ergo fuerit minor culpa, tæto minor debet esse restitutio: quæ quidem si per crassam inaduertentiam eueniat, duplo minor fortè esse debebit, quam si deducta opera contigisset. Lege Rebelleum de oblig. iust. p. 2. l. 3. q. 12. numero septimo.

PROBL. XLIX.

Si quis suarum rerum quas posset postmodum iudicialiter recuperare, inuasorem occidat, tenetur, & non tenetur ad restitutionem.

210

Tenetur quidam.

Tenetur profecto. Quia cum re vera non sit amittenda res, quæ iudicialiter potest recuperari, iniuste ille inuasorem occideret. Sic Bartol. ad l. Furem, ff. de fideiuss. Syluest. v. excommunicatio 6. notab. 4. casu 9. Comitoli. l. 4. respons. q. 10. num. decimo septimo. Homobon. de casib. reseru. p. 2. c. 3. Nauarra de restit. l. 2. c. 3. n. 41.

211

Non tenetur.

Non tenetur ad restitutionem, etiam si res possit iudicialiter recuperari. Quia aggressus tunc vitur iure suo, aggressorem occidendo in iustam rerum suarum defensionem. Itæ Caiet. 2. 2. q. 64. a. 7. Lessli. 2. c. 9. dub. 11. n. 71. Rebel. p. 2. l. 3. q. 12. n. 10. Diana p. 5. tr. 4. resol. 45.

212

Per distinctionem.

Ego quidem ex duabus sententiis expositis probabiliorē secundam esse existimo. Quia sic occidens aggressorem, non delinquit contra iustitiam, ac proinde ad restitutionem non tenetur. Inuasor namque nullum ius iustitiæ habet, vt domino inuito, res suas accipiat: sed iniuste eas inuadit: Ergo iuste defendere eas quicunque potest, etiam cum ipsius inuasoris detrimento. Attamen valde inclinor in Soti sententiam l. 5. de iust. q. 1. a. 8. asserentis illicitū esse contra charitatem raptorem occidere, cū facilis erit per Iudicem illius rei recuperatio. Nā charitas iubet leue damnum pati pro euitando maiori, aut saltem maximo proximi: sed leue damnum est, breui tempore te tuis rebus carere: maximū verò damnum vitæ orbita. Ergo ex charitate teneris breui spatio tuis rebus carere, vt euitare maximo proximi damnum valeat. Illicitū etiam erit contra iustitiā; quia nemini ex officio licet inferre gravissimum damnum proximo pro leui suo euitando: alioquin pro teruntio liceret raptorem occidere. Attamen cum difficillimā speraretur collarum rerum recuperatio per Iudicē, tunc si aliter quam occidendo non posset quis sua defendere, licebit occidere furem. Mecum Malder. 2. 2. tr. 3. c. 1. dub. 13. & Fernandez in Theolog. mor. p. 1. c. 14. §. 1. num. 13.

BB 3 PROBL.

PROBL. L.

Adulter occidens cum moderamine inculpatae tutelae maritum inuasorem tenetur, & non tenetur aliquid restituere.

²¹³ *Tenetur plane.* Tenetur plane. Quia licet adulter non peccauerit delicto homicidii, cum tamen causam efficacem per iniuriam dederit aggressori ex qua subsecutum fuit occisionis damnum, tenetur illud compensare: non quatenus ex homicidio, sed quatenus ex iniusta prouocatione fuit profectum. Sic Rebel. de oblig. iust. part. 1. lib. 3. quest. 1. 2. num. 6.

²¹⁴ *Non tenetur.* Non tenetur. Quia adulter ius sese defendendi habuit, & occisus maritus non habuit ius illum priuata autoritate interimendi, nec inuadendi. Ita Lessl. 2. cap. 9. dub. 2. num. 37. Diana. part. 3. tract. 4. resol. 47.

²¹⁵ *Prafero secundam sententiam sed unam & alteram in concordiam adduco.* Lessl. mei sententia mihi magis arridet. Nam huiusmodi occisio non est culpabilis in defensione, ut suppono, nec est culpabilis in causa; adulterium enim est causa remota, & occasio dumtaxat: nec est via ad mariti occisionem, sed potius ad interemptionem adulteri; nam rarius mors mariti ex adulterio sequitur, quam mors adulteri; ut Megalius p. 2. l. 3. c. 1. q. 7. n. 10. apte argumentatur. Crediderim tamen adhuc mihi probabilius utramque sententiam sic debere ad concordiam adduci. Adulter, qui priuata autoritate à marito inuaditur, debet prius alias vias damni vitandi querere: ut gr. fugiendo, vel precando veniam, vel offerendo satisfactionem: quae si omittat, tenetur ad restitutionem etiam forte tanquam homicidam; quia hoc in casu latam culpam perpetrat, & iustae defensionis modum excedit, maxime cum ipse tam grauem causam inuasionis dederit. At si his frustra tentatis, adhuc maritus persistat, & priuata infest autoritate: potest adulter inuasorem moderatè sese defendendo, illum occidere, nec tenebitur ad restitutionem, quia usus fuit iure suo, & iniuste fuit à marito inuasus; unde eiusmodi occisio tanquam per accedens se habebit, ac mediante alterius malitia proueniens occasione operis iniuriosi.

PROBL. LI.

Si quis laicus alteri dedit vehementem occasionem, ab eoque inuaditur: si potens fugere inuasorem occidit: tenetur, & non tenetur ad restitutionem.

²¹⁶ *Tenetur plane.* Tenetur ad restitutionem, si potens fugere, id non gerat, sed inuasorem occidat, etiam si nobilitate praefulgeat. Quia praebuit per magnam iniuriam aggressionis occasionem, nempe per contumelias. Sic Rebel. par. 1. l. 3. q. 12. num. 6.

²¹⁷ *Non tenetur.* Non tenetur ad restitutionem, licet fugere possit, & id non faciat, sed debita moderatione se, vel sua defendens inuasorem occidat. Quia non peccauit contra iustitiam, sed contra charitatem: non enim ex iustitia tenebatur fugere, vel à via declinare. Profecto ne-

mo ex malitia sua qua uult alterum inuadere, ius in illum acquirit, quo illum obliget ad fugam; ita ut nisi fugiat, vel se interim patiatur, ipsum iniuria afficere censetur; sed solum tenetur ex charitate aufugere, dum si ne honoris dispendio potest. Ita Lessl. lib. 2. cap. 9. dub. 21. numer. 136. Molina de iust. tom. 4. tract. 3. d. 8. Becan. 2. 2. quest. 6. 1. quest. 9. concl. 3.

His adhaere Doctoribus. Nam licet inuasus ve hementem dedisset inuadenti per contumelias occasionem: tamen in aggressionem iniustitiam committit inuasor; & licet inuasus peccauerit in occasione, quam aggressori praestitit: nihilominus postmodum iuste sese ab illo defendit: Ergo si eum interimat eum iniuria non afficit, ac proinde non peccat contra iustitiam, ideoque ad nullam tenetur restitutionem: sed illud homicidium se habet tanquam per accedens, ac mediante alterius malitia proueniens illatae iniuriae occasione.

PROBL. LII.

Religiosus, vel Clericus nolens aufugere dum possit, inuasorem se occidat: tenetur, & non tenetur restitutionem facere.

Contra iustitiam peccat, & ad restitutionem tenetur. Quia in Religiosis, aut Clericis locum non habet honoris defensio: nam cum humilitatem, modestiam, ac mansuetudinem proficiantur: nullum eis dedecus accrescit ex contumeliis, aut ex fuga, sed potius gloria: nec parui habentur, sed magni potius aestimantur; quod quidem in viro nobili saeculari non accidit. Sic Nauarra de resti. lib. 2. cap. 3. nu. 389. Maruel tom. 1. sum. cap. 220. num. 12.

Non tenetur ad restitutionem. Quia peccat contra charitatem, non contra iustitiam: maxime si vita, vel fortuna inuadatur; non enim ex iustitia tenetur fugere, & haec bona talia sunt, ut possit eorum defensionem operam dare. Idem dicendum si graues ictus baculi, vel pugni inferendi essent: quia ut hos auertat, se potest tueri. Ita Iul. Clarus de homic. num. 32. Lessl. lib. 2. cap. 9. dub. 21. num. 136. Tanner. tom. 3. d. 4. quest. 8. dub. 4. num. 78. Hurtad. de Mendicis 2. 2. d. 7. sect. 16. §. 135. Becan. 2. 2. quest. 9. concl. 3. docens in nostro casu Ecclesiasticum lege iustitiae non magis teneri, quam saecularis quilibet.

Non dubito, quin Clerici ac Religiosi, dum inuaduntur, fugere debeant, si possint: quia eis fuga dedecus non parit. At dum fugam omittunt, & coguntur in sui defensionem eum moderamine inculpatae tutelae inuasorem occidere: delinquant quidem contra charitatem, sed non contra iustitiam contra quam non delinquerent, si laici essent, ex fuga omissione: vnde nam ergo eo quod Ecclesiastici sint oritur, peccatum illud contra iustitiam esse? Itaque ad restitutionem non tenetur, dum minime contra iustitiam, sed solummodo contra charitatem facilem suam omiserint, aggressoremque de modo sustulerint.

PROBL.

PROBL. LIII.

Si prouocatus quis ad duellum, illud acceptat, & prouocantem interimat; tenetur, & non tenetur ad restitutionem.

²²² *Acceptans duellum, tenetur ad restitutionem.*
Aceptans duellum, ut suum mundanum tueatur honorem, & prouocantem occidens, tenetur restituere. Quia qui in duello decertat, illicitè rei dat operam, cum duellum sit prohibitum: Ergo si ex duello læsio, vel mors sequitur, qui lædit, tenetur quascumque refarcire iacturas: danti enim operam rei illicitæ, quæ prohibita est ex precepto iustitiæ, imputantur omnia, quæ sequuntur etiam præter intentionem incommoda. Sic Peregrin. *tract. de duel. quest. 39. num. 4.* Molina *tom. 4. de inst. tract. 3. d. 82. num. 2.* Megalius *part. 2. lib. 3. c. 1. qu. 1. num. 13.* Turrian. *2. 2. tom. 2. d. 28. dub. 4. numer. 12.* Bonavent. *Colonnenf. tract. de duel. cap. 12.*

²²³ *Non tenetur.*
Aceptans duellum, & occidens prouocantem, ad restitutionem non tenetur. Quia prouocans alterum, cum ad sui occisionem inuitauit, si forte sibi superior esset, scienti verò, ac volenti non præstat iniuriā. Itā Rebel. *de inst. part. 1. lib. 3. qu. 12. num. 8.* & Villalob. *sum. tom. 2. tract. 11. diff. 24. num. 1.* Salon. *2. 2. qu. 62. artic. 2. controuers. 11.* Tanner. *tom. 3. d. 4. qu. 6. dub. 4. num. 101.* Sanch. *Consil. tom. 1. lib. 1. cap. 4. dub. 10.* Lessi. *lib. 2. cap. 9. dub. 21. num. 133.* Filiuc. *tract. 3. 2. num. 21.* Azor. *part. 3. lib. 5. cap. 3. qu. 7.* Becan. *de inst. & iure, qu. 9. cap. 1.* Layman. *lib. 3. sect. 3. tractat. 3. capite 6. numero 5.* Cælestin. *in compend. Theolog. Moral. tract. 10. cap. 3. num. 3. & alij.*

²²⁴ *Mia sententia.*
Mea sententia est, si quem ad duellum prouocasti, & sic prouocatum occidisti, obligatum te esse ad restitutionem. Quia ille inuoluntarius ad duellum descendisse censetur, nè apud spontiales vilis haberetur. Si verò prouocantem interimas, vel percutias, quamvis lethaliter delinquas, ad restitutionem non obligari. Quia prouocans te ad sui occisionem inuitauit. Quod si ambo æquè vos ad duellum prouocastis, neuter alteri ad restitutionem tenebitur. Quia pactum implicitum tunc intercedit, ut nihil occisor inde debeat occiso.

PROBL. LIV.

Si absque Domini culpa mancipium, aut animal aliquem occidat, aut vulneret: Dominus in conscientia tenetur, & non tenetur ad aliquam restitutionem.

²²⁵ *In conscientia tenetur.*
Tenetur quidem. Quia mancipium, aut animal nocent, dominus videtur nocuisse, ad quem spectat subditos continere. Sic docti Iurisperiti id probantes ex *l. si seruus. ff. de noxalibus actionib. & ex cap. si culpa, de iniuriis, & damno dato.*

²²⁶ *Non tenetur in conscientia.*
Minimè tenetur in foro conscientie. Quia actio, quæ caret culpa, obnoxia non est restitutionis obligationi. Itā Nauarra *de restitu. lib. 2.*

cap. 1. num. 38. Lessi. *lib. 2. cap. 9. dub. 17. num. 119.* Malder. *2. 2. tract. 3. cap. 2. sub. 5. Diana p. 5. tr. 4. resol. 5. 1.*

In foro conscientie haud tenetur, certum est mihi credenti leges illas antè Iudicis sententiam non obligare; quia videntur ad forum externum commodò pertinere. Neque aliter vti receptas esse video. Quod autem de mancipio asseritur, à fortiori procedit in animalibus, quæ si aliquod damnum gesserint absque domini culpa, non tenetur dominus ad damni restitutionem nisi post Iudicis sententiam: tunc autem tenebitur; quia forum externum de culpa non iudicat domini, sed solum ponderat effectum. Vnde Malderus ibi, annotat, dominum posse abscondere feruum, aut animal, nè antè sententiam capiatur.

PROBL. LV.

Homicida, vel mutilator tenetur, & non tenetur integrum lucrum cessans restituere.

²²⁸ *Tenetur quidem.*
Homicida vel mutilator tenetur ad impen-
sas vulneris vel morbi, & ad omnia damna ex nece secuta, & ad lucrum cessans. Sed ambigitur, an restituere integrum lucrum cessans teneatur? Itā planè. Quia integri illius cessantis lucri causa fuit. Sic Gloss. *ad cap. 1. de iniur. verb. Operas.* Abbas *ibi, num. 4.* Gloss. *ad l. Ex hac, ff. si quadrup. paup. Graff. decis. libr. 5. cap. 66. num. 2.* Gomez *lib. 3. variat. cap. 6. nu. 9.* Ioan. Maior. *in 4. dist. 15. qu. 9. dub. ult. Nauarra. sum. cap. 15. num. 26.*

²²⁹ *Non tenetur.*
Non tenetur integrum lucrum cessans restituere. Quia lucrum in spe, quod multis modis impediri potest, non valet tantum quantum lucrum in re. Itā D. Thom. *2. 2. qu. 62. artic. 2. ad 1.* Mercado *de contratt. lib. 6. cap. 6.* Sotus *de inst. lib. 4. qu. 6. artic. 3. ad 3.* Ledesma *2. part. 4. qu. 18. artic. 1. dub. 2.* Diana *part. 5. tractat. 4. resol. 5. 3.*

²³⁰ *Cum his opinor.*
Cum his opinor. Vnde in hoc lucro cessante taxando attendendas esse crediderim circumstantias personæ, loci, temporis, &c. Si occisus erat iuuenis, & bona valetudinis, si erat dexter artifex, & maximè labori incumbens. Hanc verò estimationem agendam esse reor iuxta iuris ciuilibis dispositionem, quæ habetur, in *l. Computationi. ff. ad l. Falcidi.* Vt si quis sit annorum triginta, vel infra, hic putetur adhuc triginta; si annuum trigessimum quintum expleuerit, putetur alios viginti quinque annos. Quatuor, si sit quadragenarius, adhuc vigintus viginti, si quinquagenarius, adhuc decem annis superstitis futurus reputetur. Quando autem læsus viuis remanet cum membris alicuius præcipui, brachij scilicet, abscissione, vel perpetua debilitate haud est huiusmodi computatio annorum faciendæ, sed ei oportet solum annuatim dum vixerit, certa summa pro illo lucro, quod habiturus erat. Verùm quia valde difficile est circumstantiarum ratione exhiberi cuilibet ex damnificatis, quod ei ex iustitia debetur, sanum erit consilium, uti compositione cum iis, quibus erit faciendæ restitutio, qui mutuo sibi debent remittere, si quid plus minus

nūlve ex iniuria illata, & ex satisfactione debeat.

PROBL. LVI.

Ir lucri cessantis ob necem, aut mutilationem computatione deducenda est, & non est estimatio molestiae, & laboris quem occisus aut mutilatus in praestando officio, vel officio fuisset subiturus.

231
Non est deducenda.

Non est deducenda. Quia si estimatio laboris detrahatur vix aliquid supererit, quod estimari possit: nam scilicet lucrum non est maius, quam estimatio laboris; ut patet in iis artificiis, in quibus parum ingeniosae industriae reperitur. Et quia qui alium impedit à labore diurno, tenetur integre lucrum illius diei resarcire, nulla parte detracta ratione laboris non impenso, alius enim laborem illum subire cupiebat. Ergo deducenda non est, laboris ac molestiae, quam subiturus erat ille in officio, aut officio estimatio. Sic Lessi. lib. 2. cap. 9. dub. 19. num. 125. Sotus de iust. lib. 4. qu. 6. art. 3. Nauarra de reff. lib. 4. cap. 1. num. 68. Villalob. tom. 2. sum. tract. 11. diff. 27. num. 4. Couar. lib. 2. variar. cap. 10. num. 7.

232
Deducenda est.

Deducenda est, & moderanda restitutio propter estimationem laboris, quem in lucrando occisus, aut mutilatus subiturus erat: (nisi forte eius esset ingenij ut non minus molestè ferret otium, quam laborem.) Quia molestia, & labor ille est pretio estimabilis: Ergo ex lucro cessante deducendus: ac detrahendus est valor, qui eiusmodi molestiae ac labori responderet. Ita Ioan. Maior. in 4. dist. 5. qu. 19. Rebel. de iust. part. 1. lib. 3. qu. 13. num. 2. Diana part. 5. tract. 4. resol. 53. & docti Recentiores.

233
Hoc mihi videtur.

Ego existimo, paucos esse inveniendos illiusmodi ingenij artifices, qui sine labore ac molestia necessaria ad victum acquirerent, maxime si de labore per totam vitam ageretur. Vnde in praxi existimo posse ad arbitrium prudentis aliquid detrahi à lucri cessantis restitutione, ratione leuaminis à labore. Scio, contra, noniorem primam sententiam esse, sed secundam existimo validiori fundamento niti, & à doctis Modernis defendi.

PROBL. LVII.

Pro ipsius vita, aut membri priuatione, deformitate, cicatrice hominis liberi facienda est, & non est aliqua restitutio.

234
Facienda est.

Facienda est. Quia quandocumque non potest reddi aequalens, reddi debet possibile: impossibilitas enim excusat à tanto, non autem à toto. Et quia absurdum videtur seruum, aut equum alterius occidentem teneri de damno vitae, occidentem verò dominum serui, aut equi non teneri. Et quia in lege Moysi simile damnum erat compensandum Exo. 23. vbi pro anima, seu vita iubetur dari pretium, pro oculo, aut dente serui libertas. Sic

D. Thom. 2. 2. qu. 62. artic. 2. ad 1. Aragon. ibi. Salon. Sylui. Valent. Scot. Richard. Gabri. Maior in 4. dist. 15. Adrian. in 4. de reff. qu. 1. vlt. Azor. 10. 3. lib. 3. cap. 3. qu. 4. Molina de iust. 10. 4. tr. 5. d. 88. Rebel. p. 1. l. 3. g. 13. m. 1. Fernand. Examp. p. 1. c. 14. §. 1. num. 17. & alij. Discrepant vero citati Doctores circa restitutionis modum. Adrianus asserit reum, si in iudicio non puniatur, debere pro Republica aliquo in bello vitam exponere: quod tamen ab aliis merito reijcitur; quia hæc restitutio per se læso nihil prodest. Sotus docet satisfaciendum esse petendo veniam vel à læso, vel ab hæredibus, vel alia arbitraria satisfactione vtendo: determinatè autem ad suffragia spiritualia pro oculo offerenda non putat ex iustitia ledentem teneri, licet hæc commoda satisfactio esse queat. Salon. totum hoc prudentis Confessarii arbitrio relinquit, ut reus satisfaciat aut per suffragia, & spiritualia officia ipsi defuncto, aut per veniæ petitionem aut aliquam compensationem pecuniariam ipsi hæredibus. Conueniunt demum ferè omnes ad nihil aliud reum teneri, si in iudicio iusta poena talionis afficiatur.

Non est facienda necessaria restitutio pro vita, membro, cicatrice hominis liberi. Quia in 1. fin. ff. de his, qui effuderint, & in l. Ex hac lege ff. si quadrup. pamp. dicitur, liberum corpus nullam recipere estimationem: ac proinde damna corporis liberi non posse pretio compensari, nam sunt supra pretium. Et quia restitutio, quæ debetur ex iustitia reparat damnum illatum præcisè ad aequalitatem: Ergo vbi damnum natura sua est irreparabile, non debetur lege iustitiæ restitutio. Vnde è contrario dicendum, pro vita mancipij, vel animalis debere fieri restitutionem pecuniariam, quia illorum vita æstimatur pretio & quoad aequalitatem potest rependi: Ergo pro illa tantum solvendum est, quantum valet. Ita Valg. opus. de reff. l. c. 2. §. 3. dub. 6. Becan. 2. 2. q. 11. concl. 1. Laym. lib. 3. sect. 5. tr. 3. p. 5. c. 6. num. 1. Lessi. lib. 2. cap. 9. dub. 23. num. 141. Gordon. tom. 1. Theol. Mor. l. 5. qu. 4. c. 4. num. 26. Sanch. conf. 10. 1. lib. 1. cap. 4. dub. 1. num. 7. Filliuc. tr. 3. 2. num. 200. Couar. l. 2. variar. cap. 10. Nauar. sum. cap. 15. m. 21. & alij.

Hanc sententiam probabiliorē esse iudico, vnde cum Tannero 10. 3. d. 4. q. 6. dub. 4. num. 113. asseruerim poenitentem non debere à Confessario ad restitutionem vllam hoc in casu compelli. Ex his infero, si vir nobilis, aut alius, qui nihil lucri faciebat, sit occisus, nihil pro eius vita aut opere esse restituendum. Nec homini libero pro deformitate resultante ex vulnerare aliquam esse gerendam satisfactionem, nisi inde damnum temporale resulet; tunc enim si non ratione scditatis, ratione damni compensatio debetur: verbi gratia, si deformitatem agat in femina nubile, quæ ob eam matrimonio colligari nequit, vel ampliori indiget dote. Aut si deformitas facta esset in seruo, ob quam minus valeret.

PROBL.

SECT. II. De Præcepto V. Problemata. 297

PROBL. LVIII.

Homicida tenetur, & non tenetur ex iustitia, pro anima à se occisi Missas, & orationes offerre.

²³⁷
Tenetur plane.
Tenetur plane. Quia satisfactio personalis iniuriæ fieri potest per suffragia oblata pro occiso. Vnde ad hoc homicida non solum ex charitate, sed ex iustitia tenetur. Sic Rebel. p. 1. l. 3. q. 14. n. 6. Molina 10. 4. de iust. tr. 3. d. 34. n. 11. Adrian. in 4. q. ult. Aragon 2. 2. q. 62. a. 1. Scotus in 4. dist. 15. qu. 3. Gabri. ibi. q. 15. art. 2. Iul. Clar. in pract. crimin. lib. 5. §. Homicidium. Roland. à Valle lib. 2. conf. 19.

²³⁸
Non tenetur.
Non tenetur. Quia nemo tenetur damnum relaxare ex bonis diuersi generis, ac ordinis, si in eodem iniuriæ agnato non possit: solum enim bona eiusdem generis, ac ordinis inter se commensurari possunt secundum dati, & accepti proportionem, sermo enim est de restitutione, siue compensatione damni per iustitiam commutatinam. Ità Laym. l. 3. sect. 5. tr. 3. p. 3. c. 6. n. 2. Azor. p. 3. l. 5. c. 3. q. 12. Filliuc. tr. 32. numer. 205. Becan. 2. 2. q. 13. concl. 2. & alij.

²³⁹
Hanc partem præfero.
Hanc præfero sententiam, adiiciens, in foro interno Confessarium decere, pro satisfactione sacramentali homicidæ sacrificia, ac preces pro defuncti anima applicandas imponere.

PROBL. LIX.

Homicida tenetur, & non tenetur restituere damnum, quod per accidens familiaribus, & amicis occisi ex eius morte fuerit secutum.

²⁴⁰
Tenetur quidem.
Non tantum parentibus, filiis, vxori occisi est restitutio damnum gerenda; sed etiam amicis, & aliis familiaribus ac propinquis, quibus aliàs defunctus ex iustitia non tenebatur: tamen probabile erat, eum, si vixisset, alimenta daturum, vel alia pia præstiturum, opera quando, inquam, huius magna erat probabilitas, nempe quia defunctus iam firmiter decreuerat consanguineum, vel amicum domi alere: tunc enim hisce restituendum tantum, quanti spes illa probabilis æstimaretur. Quia sicut ille, qui per vim, vel fraudem aliquam impedit à legati alicuius consecutione (v. gr.) quod probabiliter consequeretur, auocans animum illius, qui præstare decreuerat: tenetur ad illius restitutionem, quo spes illa æstimaretur prudentis arbitrio, quamvis ad illud legatum non haberet ius ille, qui id sperabat, solum quod vi, aut fraude fuit impeditus: Ità ille qui occidit alium, qui amico, aut propinquo decreuerat aliquid conferre, vi impedit illud commodum, quod illi ex defuncto, si viveret, consequeretur: Ergo ad illius restitutionem tenetur. Sic Vasq. opusc. de restit. c. 1. §. 3. dub. 7. nu. 24. rationem præfatam vocitans euidenter.

Nauarra de restit. l. 4. c. 1. n. 76. Faber de restit. in 4. dist. 15. q. 3. d. 5. c. 2. n. 77. Azor. p. 3. l. 5. c. 3. q. 11. Adrian. Scot. & alij à Molina citati, vbi infra.

²⁴¹
Non tenetur.
Non tenetur homicida aliquid restituere amicis propinquis, seu familiaribus, quos defunctus ex sua liberalitate sustentabat, quæque alia esset vinens beneficia collaturus. Quia id illis non erat debitum, quasi ius ad illud haberent: neque nex interfecto illata fuit animo priuandi huiusmodi homines emolumento, quod ex occiso sperabant, verisimiliterque in futurum percepissent: sed accidit id sequi incommo- dum præter interfectoris intentionem. Ità Molina de iust. 10. 4. tr. 3. d. 81. n. 6. Sorus de iust. l. 4. q. 6. a. 3. Lessi. l. 2. c. 9. dub. 26. numer. 154. Salon 2. 2. q. 62. a. 2. contr. 7. Becan. 2. 2. q. 4. concl. 2. Celestin. in compend. theol. Moral. tr. 10. c. 3. num. 2.

²⁴²
His subscribo.
His subscribo Doctoribus: Nam quæ propinquis, familiares, seu amici ab interfecto percepturi erant, connexionem non habent cum vita illius in ratione debiti, nec aduenit nex ex intentione contrahendi iuri, quod illi haberent ad accipiendum, quod sibi defunctus ex liberalitate conferre voluisset, quasi homicida id impedire intenderet: sed per accidens est secutum: non secus ac si mors alia ex causa eadem eueniret. Vnde homicida restituere non tenetur emolumenta, quæ eo modo morte iniusta per accidens impediunt.

PROBL. LX.

Homicida tenetur, & non tenetur creditibus occisi restituere damna.

²⁴³
Tenetur sane.
Tenetur equidem. Quia hoc debitum de iustitia est, & quod anteponendum erat emolumentis, quo priuatur vxor, & filij, cum ad vxorem & ad filios non aliud ex marito & ex patre pertineat, quam quod remanserit, deducto prius toto ære alieno, satisfactisque integre omnibus interfecti creditoribus. Quare cum homicida tenetur vxori, ac filiis eius, quem occidit iniuste, emolumenta vera ex ita interfecto, quo ipse priuatur: arctiori ratione restituere creditoribus damna tenebitur. Sic Molina de iust. 10. 4. tr. 3. d. 83. n. 8. Laym. l. 3. sect. 5. tr. 3. p. 3. c. 6. n. 4.

²⁴⁴
Non tenetur.
Minime tenetur. Quia per accidens damnum creditoribus obuinit: non enim illa occisionis actio ex sua natura, vel vt plurimum est illis damnosa: ergo non est illis iniuria interrogata. Et quia creditor non habet ius in debitorem, nisi quantum extendunt se bona, quæ actu habet, vel quæ verosimiliter erat habiturus: Ergo cum homicida restituit hæreditas, in quos obligatio defuncti transferretur, ea, quæ ipse putabatur lucraturus: non facit iniuriam creditoribus: possunt enim ab hæreditibus solutionem petere. Ità Lessi. l. 2. c. 9. dub. 26. numero centesimo quinquagesimo primo Celestin. comp. theol. Moral. tr. 10. c. 3. numero, secundo, Filliuc. tr. 32. numer. 109. Diana p. 5. tr. 4. resol. 57. Becan. 2. 2. q. 62. q. 4. concl. 1. Salon 2. 2. q. 62. a. 2. contr. 8. Sorus de iust. l. 4. q. 6. a. 3. ad 4. & alij.

I dem

²⁴⁵ Idem affirmo, hanc sententiam probabilior
 rem esse indicans. Nam creditor non est ita con-
 iunctus debitori, ut damnum, quod huic fit, de-
 beat censere factum esse creditori; solum enim
 per accidens seu civili modo ei cohaeret, qua
 ratione innumeri possent cum ipso coniungi.
 Absurdum autem proculdubio est, omnes eos,
 qui cum ipso contrahunt, habere ius iustitiae
 in ipsius inimicum, ne ipsum interimat. Porro
 qui cum aliquo contrahunt, debent perpende-
 re, num ille habeat sufficientia bona: vel certe
 curare, ut det sufficientem cautionem; quod si
 non gesserint, sibi imputent; non enim tenetur
 inimicus tam procul respicere.

PROBL. LXI.

*Heredes homicida excusantur, & non ex-
 cusantur a restitutione, si ille
 capite est damnatus.*

²⁴⁶ Non excusantur. Quia poena infligitur a
 Iudice homicidae, non ut damnum parti
 laesa compensetur, sed ut iniuria Reipublicae &
 legibus illata vindicetur, aliisque terror incu-
 tiatur. Sic Sanch. *consil.* 10.1.1.c.4. dub. 2. n. 2. Go-
 mez 10.3.c.3.n.3. Navarra *de restit.* l. 4.c.1.n.91.
 Conar. l. 2. *variatio* c. 10. n. 7. Azor. 10.3. l. 5. c. 3. q. 6.
 Malder. 2. 2. tr. 3. c. 3. dub. 5. Gordon. 10.1. l. 5. q. 4.
 c. 4. n. 17. Mercado *de contr.* l. 6. c. 6.

²⁴⁷ Excusantur omnino. Quia capitis sententia
 compensat omnem iniuriam, & damnum ho-
 micidij. Ita Bannes 2. 2. q. 62. a. 2. Adrian. *de re-
 sit.* q. ult. Angel. v. *Restitutio* 1. §. *Homicida*. Ro-
 sel. v. *Restitutio* 3. Scotus in 4. dist. 15. q. 3. a. 2.
 Gabriel. ibi. q. 1. a. 2. Lessli. l. 2. c. 9. dub. 22. n. 139.
 & alij ex Modernis.

²⁴⁸ Satis probabilem hanc iudico sententiam,
 Auctoritate refo. probabilior tamen reor esse primam. Quia
 vxor, filij, seu heredes nullum temporarium

emolumentum sibi comparant ex homicidae
 capite damnati in supplicio. Ergo aliunde eis de-
 beret suppleri. Quod quidem intelligendum est,
 quando bona damnati ad mortem pervenire
 ad heredes non successione hereditaria, sed
 libera legatione. Ceterum sententiam secun-
 dam veriorē esse censem, mihi quae elige-
 rem, quando heres occisi nihil pro damnorum
 satisfactione exigenda enim habet plerumque
 usus, ut poenae talionis acquiescere censetur.
 Doctore Becano 2. 2. q. 10. *concl.* 1.

PROBL. LXII.

*Homicida compellendus est, & non est re-
 sistere, si ob id in gravi constituen-
 dus sit necessitate.*

Restituere est compellendus. Quia in ius-
 modi obligationi subeunda se praestitit, ²⁴⁹
 cum scelus tantum fuit aggressus, & tam gravi
 iniustitiae dedit operam: Ergo cum gravi eius
 dispendio compellendus est restituere. Sic Mar-
 tin. de Ledes. p. 4. q. 18. dub. 2. a. 2.

Non est compellendus restituere. Quia nul-
 lus tenetur cum tanto dispendio restitutionem
 gerere. Ita Sanch. *Consil.* 10.1.1.c.4. dub. 7. n. 1.
 Corduba l. 1. q. 3. i. a. 3. Scotus *de iust.* l. 4. q. 6. a. 3.
 in solut. ad 3. Diana p. 5. tr. 4. resol. 62.

Hoc verius existimo, modo heredes occisi, ²⁵⁰
 gravi etiam necessitate non afficiantur: tunc
 enim homicida teneretur, sibi reposito quod
 extrema necessitate succurrenda sufficiens vi-
 deretur, heredibus occisi subvenire.

Hac circa homicidium attigisse sufficiat, si
 autem quis tractatum de Maledictionibus re-
 quirat, quem huic quinto Praecepto agna-
 tum esse reor: sciat me morem gessisse Aucto-
 ribus, qui plerumque hanc materiam ad octa-
 vum Praeceptum pertinere existimant.

LIBER